

Petrus de Vinea

*Ep. III 22 (Generali qua
cunctos amplectimur fidei...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 22 (Generali qua
cunctos amplectimur fidei...)*

giugno-luglio 1249

Regi Francorum existenti in partibus Vltramarinis, ut rescribat ei sui status continentiam et processus.

1. Generali qua cunctos amplectimur fidei participatione Christicolas, sed speciali qua uestram diligimus affectione personam, inter tot et tanta diuersa curarum genera, quae cogitationibus nostris indesinenter occurrunt, precipua reddimur anxietate cordis solliciti et affectamus instanter de uobis audire ueridica noua, quae placeant et scire plenarie in Terrae Sanctae subsidium uestrae peregrinationis euentum, uelut qui, teste supremo Iudice, semper ipsam amore negotii desiderauimus prosperam et affectione personae semper uotorum conformitate felicem. 2. De cuius etiam aggressionem negotii, uelut in tam ualida rerum et temporum tempestate tentata, res quippe solliciti plena timoris, amor, quem ad progenitores uestros et uos habuisse suauius rememoramus illesum, timidos nos crebro reddit et multotiens etiam dubitare coegit, ne uotis communibus absonum infestis auspiciis exitum sortiretur. 3. Inter siquidem anxietates et sollicitudines nostras, quas euentus futuri dubietas nostris affectibus ingerebat, uolatilis famae garrulitas, uariis discussa relatibus, superuenit, et, quae ueritatis utinam uacuas recitationes efficiat, clapsis regiae castrum, fidelium dudum sancto proposito non sine magnis laboribus et sumptuum profusionibus congregatum, in tempestate maris et fluctuum, quibus non nisi Dominicae potestatis auctoritas imperat, colluctatione uentorum asseruit disgregatum. 4. Ex quo tanto uehementioris causam turbationis assumpsimus, quanto personam uestram prae ceteris mundi regibus et principibus sinceriori charitate diligimus et quanto, per id multorum nobiscum uota

fideliū intentione suspensa, Terrae Sanctae discidio, quae Gallicarum uirium tam proximum subsidium expectabat, deuotis affectibus condolemus. 5. Ista tamen uaria relatione perplexi, credere simpliciter loquacis famae relationi noluimus, donec super hiis ueritas, quae dubietatis huiusmodi turbines abluat, nobis lucidior patefiat. 6. Propter quod..., latorem presentium, ut ad nos redeat uestri processus utinam felicitis instructus, ad uestram presentiam prouidimus destinandum. 7. Vellemus nichilominus, fluctibus placatis Ytalicis, uobis esse locorum habilitate uicini, et qualitercumque res ipsa se habeat, opem, non litteras tantum, sed alia subsidia uobis nostrae magnificentiae dextera destinare, quae, tamen in quantum negotiorum et temporum qualitas patitur, non minus libenter uobis offerimus, quam uobis ipsis, aut uni quem cariores habemus ex nostris filiis presentamus. 8. Dilectionem itaque uestram rogamus attente, quatenus de statu et continentia uestra ac totius stolii uestri processibus anxia nostrae mentis intrinseca renouetis.